

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

16 April 2008

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Poggio on excessive veneration of the past

Ciriacus Anconitanus, homo verbosus et nimium loquax, deplorabat aliquando, astantibus nobis, casum atque eversionem Imperii Romani, inque ea re vehementius angi videbatur. Tum Antonius Luscus, vir doctissimus, qui in coetu aderat, ridens hominis stultam curam: 'Hic persimilis est,' inquit, 'viro Mediolanensi, qui, die festo, cum audisset unum e grege cantorum (qui gesta heroum ad plebem decantant) recitantem mortem Rolandi, qui septingentis iam ferme annis in proelio occubuit, coepit acriter flere, atque inde, cum uxor domum reversum moestum ac gementem vidisset, rogassetque quidnam accidisset novi: "Heu! mea uxor," inquit, "defunctus sum!" "Mi vir," uxor ait, "quid tibi adversi evenit? Solare, atque ad coenam veni." At ille cum in gemitu perseveraret, neque cibum vellet sumere, tandem instantius moeroris causam percontanti mulieri: "An nescis," respondit, "quae nova hodie audivi?" "Quaenam, vir?" uxor inquit. "Mortuus est Rolandus, qui solus tuebatur Christianos!" Solata est mulier insulsam moestitiam viri, et vix tandem ad coenam potuit illum perducere.'

2. The greatness of Charlemagne

Armipotens Karolus, victor pius atque triumphans
Rex, cunctos superat reges bonitate per orbem:
Iustior est cunctis cunctisque potentior exstat.
Ille duces magno et comites inlustrat amore;
Blandus adest iustis, hilarem se praebet ad omnes,
Iustitiae cultor cultores diligit omnes,
Iustus in exemplum cunctis se donat habendum.
Ingreditur prior ipse, sequi quo se cupit omnes;
Temptat iter, facile cuncti quo iure sequantur.
Iniustos merito duris constringit habenis,
Atque iugum inponit gravidum cervice superbis,
Discere iustitiam divinis ammonet actis;
Impia colla premit rigidis constricta catenis
Et docet altithroni praecepta implere tonantis.

3. How the dog ate John of Salisbury's homework

Anni fere uiginti elapsi sunt ex quo me ab officinis et palestra eorum qui logicam profitentur rei familiaris auulsit angustia et consilium amicorum quibus non obtemperare non potui. Exinde, ut ex animi mei sententia uerum fatear, nec in transitu uel semel dialecticorum attingi scripta, que uel in artibus uel in commentariis aut glosematibus scientiam pariunt aut retinent aut reformant. Aliis namque et non modo diuersis sed aduersis fere occupationibus interim distractus sum; ut uix uel ad horam, et hoc quodammodo furtim, philosophari licuerit. Siquidem Alpium iuga transcendi decies, egressus Angliam; Apuliam secundo peragravi; dominorum et amicorum negotia in Ecclesia Romana sepius gessi; et emergentibus uariis causis non modo Angliam set et Gallias multotiens circuiui. Ad hec cura rei familiaris, sollicitudinum concursus, gerendorum instantia, litteris dare operam non sinebant. Vnde me excusatiorem habendum puto in his que obtusius et incultius a me dicta lector inueniet.

4. Pope Gelasius on the spiritual power

Duo quippe sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacrata pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis exspectas, inque sumendis coelestibus sacramentis eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse, itaque inter haec ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae; quo, oro te, decet affectu eis obedire, qui praerogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde, sicut non leve discrimen incumbit pontificibus, siluisse pro Divinitatis cultu, quod congruit; ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui, quum parere debeant, dispiciunt.